

ac faventibus Auditoribus omnino desperandum non sit.
Procedet autem Kipschius, primum in titulo nominatus,
nulliq; si industriam spectes, secundus, quantum nomen
JESU omnia superet nomina declaraturus. Seqvetur al-
ter Leistenius, Rectoris & Collegæ nostri conjunctissimi
non degener filius, ac in spem Parentis optimam succre-
scens, qvi quantum solatii afferat CHRISTI Nomen, di-
cendo explicabit. Redibit tandem Kipschius, sumam non
modo horum nominum Concordiam commendaturus,
sed etiam, qvia Gregorius Nyssen⁹ supra allegatus, omni-
um nominum quasi connexam catenam agnoscit, loco
Strenæ hanc catenam, Reverendissimo Nutritio, Serenissi-
mæ Saxonum Familiæ, Reipublicæ, Ministris, Augu-
steo, omnibusq; & singulis apprecaturus.

Ad vos autem, qvicunq; talia legitis, decenter nostra
se convertit invitatio, velitis laudabilem hanc devotionis
Natalitiæ laciniā non contemnere, vestrâq; præsentia
Studioforum in dicendo & promptitudinem & pietatem
ita provehere, ne unquam in Augusteo nostro apud Juve-
nes inclyta ista exercitia intermoriantur. Promittimus si
non reciprocā favoris relutionem, qvam qvidē in pot-
estate nostra vix esse positam agnoscimus, certè tamen in-
delebilem ac ad qvævis servitia promptissimam memoriā.

Qvod reliquum eit, rogamus Omnipotentem Patrem IESU Christi,
velit Principem hunc Pacis novo hoc anno omnibus indulgere faventissi-
mum, ne spes pacis sub exitum anni superioris concepta, sive protrahatur
sive evertatur; sed potius inter Principes stabiliatur concordia, sangvi-
nisq; Christiani constantior parsimonia. Habeamus annum hujus seculi
undecies septimum, ac in tot Septenariis, sacrum latere numerum intel-
ligamus. Aut si Sacrum Septenarium in se continet Spiritus Sanctus à
Christo mislus, efficiat ille Felicem & Sacrum Annum, in quo nec pieta-
tis nec gratulationis frustra desideremus materiam. Sic nobis faveat
Salvator optimus, per sanctam nominum, qvibus claret, significationem.
P.P. Festo Epiphaniae Anni nuper inchoati MDC LXXVII.